QVAESTIO MEDICA.

Quodlibetarijs diſputationibus agitanda in ſcholis medicorum die Iouis 8. Ianuarij, 1573.

DOCTISSIMO VIRO D. IACOBO MARANTO DOCTORE MEDICO, moderatore prudentiſſimo.

An ortus & interitus hominis contrariæ cauſæ?

CVM effectuum contrariorum cauſas oporteat eſſe contrarias, voluerit autem naturæ Deus ſublunaria omnia oriri & interire, cælo generationis & corruptionis autori, motus indidit contrarios: quibus excitatus vitalis ille & moderatione ſua beneficus calor, quem non abſurdè Stoici continentem cauſam appellarunt, quotidie nouus huc defluit, atque per elementarem mundum effuſus, primas qualitates vbique locorum immixtus miſcet: vnde cætera, ipſæque adeò mixtorum formæ cõſurgunt, excepta humana, cuius ſupracæleſtis proindéque immortalis eſſentia, duobus ſubnixa vehiculis, vno ætherio & ſempiterno quod accipit ab opifice, altero aërio & longæuo, quod ipſa ſibi aptat, cum primum fit ciuis generationis, vt ſit mortalis & immortalis naturæ vinculum, in terrenum hoc & caducum habitaculum ad vniuerſi ordinem & perfectionem includitur.

Homo, cui creata ſunt omnia, immortalitatis ſtudio generat ſibi ſimile, miniſterio maſculi, ne potentia quidem animati, ſeminis, vndique ſed è cerebro potiſſimum in teſtes influentis, quorum proprietate formatum, cum voluptate excernitur, excretum ſi fœcundus vterus conceperit, ex menſtruo ſanguine octauo etiamnum & vndecimo menſe, corpus alterutri parentum, ſed rarius quam in belluis, ſimile dearticulat: quo perfecto quaſi exoluto naturæ penſo, diſparet, cúmque ipſo ſpiritu ſimul euaneſcit, ſua forma longè meliori, quippe animæ, permutata.

Vnius animæ tres primas facultates, non (vt quibuſdam placuit) vegetantem, ſentientem, ratiocinantem: multo minus concupiſcentem, iraſcentem, intelligentem, ſed naturalem potius vitalem & animalem, principio & eſſentia vnitas, ſedibus ita diſcluſit opifex, vt naturam in hepate, vitam in corde, animam in cerebro collocarit, vnde partes omnes etiam ſine ſpiritu mouet: illic ſentit, non in ſenſorio: eadem parte meminit, imaginatur, cogitat: natura interim alimentum ad vitam neceſſarium (ſanguinem dico) in hepatis officina præparante, quem mox in venis quoque perficiat: è quibus vel exudans, vel ſtillans, in ſingulas partes æquabili proportione manat, & earum inſita facultate ad naturæ ſimilitudinem traducitur, quod verò reliquiarum eſt foras ablegatur, coctúmque melius quam crudum excernitur.

Natiuus calor plane elementaris, neque alius ab eo qui eſt temperamenti, humore primigenio ſubſiſtit, vtque mediocritate ſeruatur: ſic intenſione & remiſſione corrumpitur: intenditur, ſi quando võtilationis, expirationis, vel perſpirationis beneficiis prohibetur. Ventilatur, aëre frigido, motu voluntatis inſpirato, inſpiratur aër (grauiſſimorum morborũ author, idémque & vtilior cibo & nocentior) pulmone ad thoracis motum dilatato, expiratur, eodem natura non voluntate cõpreſſo, perſpirat verò fuligine per inſenſiles cutis meatus excreta, quam arteriæ dilatatæ à corde excipiunt, contractæ ad cutẽ amãdant.

Cum calor ab agendo nunquam ferietur, finitæ autem ſit virtutis & repatiatur, naturæ neceſſitate ſenſim languet, & operam remittit, quo fit vt in locum vitalis humoris aſſiduè fluentis neque æqualem neque ſimilem ſufficere poſſit, ſed dilutum & aqueum pro illo aërio & oleoſo ſubſtituat, à quo tandem is, cum animal naturæ neceſſitate moritur, ſuffocatus extinguitur. Quod ſi in humoris primigenij vicem, alterum ars æquè idoneum reponeret (quam ſcientiam impudenter ſibi arrogant neſcio qui ſeplaſiarij) vitam fortaſſis in aliquot annos liceret producere, perpetuam ſperare non liceret. Cum ergo eadem cauſa contrario modo affecta rationem habeat cauſæ contrariæ, moderatus autem calor ſit autor, atque dux vitæ, immoderatus, ſiue exuperans, ſiue deficiens, cauſam mortis afferat, haud dubiè.

Ortus & interitus hominis cauſæ ſunt contrariæ:

De his reſpondebit Ioannes Riolanus Ambianus-

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. IO. LE PESCHEVR.
M. GVILLELMVS DE LA BARRE.
M: IO. DV VERNEVIL.

M. LVDOVICVS THIBAVLT.
M. SIMEON DE MALMEDY. Profeſſor Regius.
M. IO. DESNEVX.

M. ANTONIVS PRVNIER.
M. IO. ROCHON.
M. IAC. CARPENTARIVS. Profeſſor Regius.